

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In festo Michaelis Archangeli

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

tam revocare potest, id solius Dei opus est, qui mortificat & vivificat, 1. Sam. 2. v. 6.

Sed apud hunc medicum non impossibile est ullum verbum, Luc. 1. v. 37. Psal. 68. v. 21. *Corporalis medicus morbos corporis tantum profligare*, animam autem sanare non potest. Id ministerio commissum est.

Verum Christus solus efficere potest:

Ut sit mens sana in corpore sano.

Sicut paralyticum cum anima tum corpore sanavit, Matth. 9. v. 26. Hinc Augustinus: *Sic medetur plagis peccatorum nostrorum, ut nulla cicatricum vestigia remaneant.* Hinc nulla condemnatio est iniis, qui in Christo Jesu sunt, Rom. 8. v. 1.

Medico corporali non semper potiri possumus. Sicut legimus de Hippocrate, quod Rex Persarum ei magna donaria obtulit, qui tamen ad eum venire noluit.

Verum aliter cum Christo se res habet, hic enim nobiscum est omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. ult. Ideo vocatur Immanuel, Deus nobiscum, Esa. 7. v. 14. Hinc bene Augustinus: *Quia tu non poteris ire ad Medicum, ipse Medicus venit ad te.* Per ascensionem enim suam in ejusmodi thronum ascendit, qui per totum orbem se extendit, ut nos ubique terrarum ejus perfugio uti possimus. Non enim longè ab unoquoque nostrum est; in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus, Act. 17. v. 28.

Postremò nemo Medicorum reperitur, qui vitam pro agrotis profuderit. Verum Christus id fecit. Propterea exclamat Augustinus: *O mirabile genus medicinae, ubi medicus agrotat, ut agrotis sanitatem conferat.* Verè languores nostros ipse tulit, Esa. 53. v. 4. seqq.

Hoc proinde ad solatium vestrum tenete, Dilecti! & quia auditis, medicum hunc non venisse valentibus, sed malè habentibus: Videte, ne vos valentes arbitremini, sicuti Pharisei in se confidebant, quod essent justi, Luc. 18. v. 9. sed potius cum Paulo gloriemini in infirmitatibus vestris, ut inhabitet in vobis virtus Christi, 2. Cor. 12. v. 9. & in hoc medico, hic temporaliter & ibi in aeternum exultare poteritis. *Hic in tempore sanabit vos, verbo suo sanctissimo, quod verum malagma est, omnia sanans, Sap. 16. v. 12. Ibi verò in aeternum cibavit vos de ligno vitæ, quod in paradiso Dei est, & cujus folia ad sanitatem gentium, Apoc. 22. v. 2. ut nunquam ægrotare, sed germinare & virefcere debeatis, Psal. 92. v. 15. nec mortem gustare in aeternum, Joh. 8. v. 51.*

Id quod nobis omnibus ex gratia concedere dignetur, Deus Opt. Max. per filium suum Jesum Christum, Servatorem nostrum, in Spiritu sancto,
Amen.

In die festo Michaelis Archangeli.

Evangelium Matth. 18. v. 1. --- 11.

EXORDIUM.

Cum Josua esset in agro urbis Jericho, levavit oculos: & vidit virum è regione, evaginatum tenentem

gladium. Perrexitq; ad eum, & ait: Noster es, an adversariorum? Qui respondit: Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini.

Ffff 3

ming

mini, & nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? Et dixit Princeps exercitus Domini ad Josue: *Solve calceamentum de pedibus tuis*; locus enim in quo stas, sanctus est. Fecitque Josue, ut sibi fuerat imperatum, Jos. 5. v. 13. seqq.

Hic *peculiaris apparitio* nobis describitur, quæ Principi Josuæ accidit: sine dubio *filius Dei* fuit in forma angeli, qualem seia V. T. iubinde manifestavit, & inde *καὶ ἔρχεται ἄγγελος* dicitur, Mal. 3. 1. Est etenim *Angelorum princeps*, cui omnes obedire, & voluntatem ejus facere tenentur, Psal. 103. v. 20.

Veluti igitur aliàs Princeps exercitus sive Dux militiæ, in loco illo ubi est, exercitum suum secum habet: Ita certissimè *perfrvadeamus nobis*, quod ubi Christus *per fidem* habitat in corde, Eph. 2. v. 17. ibi & sancti angeli præsentés sint, in frequentia multorum millium, Hebr. 12. v. 22. castra metantes in circuitu timentium Dominum, Psal. 34. v. 8.

Josua calceamentum de pedibus suis à filio Dei *solvere* jubebatur: quo ipso intelligitur omnis immundities, quæ homini adhæret, Hebr. 12. v. 1. hanc deponamus oportet, per quotidianam pœnitentiam, tanquam novæ creaturæ, in novitate vitæ ambulantes, Rom. 6. v. 4. Filius enim Dei est sanctissimus, Dan. 9. v. 24. quin & Angeli caeli & mundi spiritus sunt, unde etiam sancti angeli appellantur, Matth. 25. v. 31. Quod si igitur Princeps exercitus Domini, cum sanctis Angelis apud nos divertere debet, & habitationem facere: non configurati prioribus ignorantia desiderii, sed secundum eum, qui vocavit nos, sanctum, & nos in omni conversatione sancti simus, necesse est, 1. Petr. 1. 15.

Aliàs in scriptura mentio fit calceamentorum in bonâ quoque significatione, cum primis, quando sponsus cœlestis de sponsa ecclesiâ, & quavis fideli anima dicit: Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis, Cant. 7. v. 1. ita sponsus ipse sponsam suam hyacintho calceaverat, Ezech. 16. v. 10.

Sed hic Dominus *de aliis calceis* loquitur, quos Protoplasti in Diaboli officinâ sibi aptari & applicari siverant, à quibus ad nos per hæreditatem devenerunt, sic uti de Adam expressè dicitur, quòd post lapsum, non ad Dei, sed ad imaginem & similitudinem suam filios genuerit, Gen. 5. v. 3. Ideò emphaticè dicitur, solve calceamentum de pedibus tuis, non quod ego applicavi tibi, sed tuum, quod ipse induisti, ad latam illam viam currendam, quæ ad perditionem ducit, Matth. 7. v. 13.

Hoc ipso igitur adumbratum fuit, ut, qui præsentia gratiosâ Jesu Christi, & custodia sanctorum Angelorum gaudere velit, ante calceamenta exuere debeat, hoc est, vitæ sanctimoniam studere, & ita vitam agere teneatur, in hoc mundo: ne cui forte scandalum præbeat, & ita justissimam Dei vindictam sibi attrahat, ut in ola asinaria iræ divinæ suspendatur de collo ejus, ratione cujus Christus fideliter nos admonet in prælecto Evangelio.

Quoniam igitur pii Veteres hoc ipsum in festo Angelorum explicandum ordinarunt; nos sine ulteriori præloquio ad explicationem ejus progressuri, contemplantur ex eodem:

I. Ἀποστολογίαν, sive *notitiam nostri.*

II. Χριστολογίαν, sive *notitiam Christi.*

J. J.

Exe-

Exegesis.

Hodiernus festus dies Michaelis à sancto Archangelo Michaelè nomen sortitus est, de cujus apparitione triplici Pontificii multa fabulantur, quæ verò suo loco relinquimus. Quod autem nos hunc diem in ecclesiis A. C. solenniter celebramus, id non in honorem creati Archangeli, sed Christi facimus, ad animum nobis hoc ipso præclara illa beneficia revocantes, quæ nobis per sanctorum Angelorum tutelam exhibuit, unde in voce laudis immolare Domino, & quæcunque vovimus, reddere salutem Domini tenemur, qui nos tam gratiosè respexit, & in calamitatibus auxilio suo præstò fuit, Jon. 2. v. 10.

Ad *Ανδρῶν πολογίαν* verò, sive *notitiam nostri* deducet nos:

1. *Superborum ingenium*, qui non contenti sunt sorte suâ, sed lautiores desiderant, dum cum Absolone in quercu exitii penduli fiant, in superbia enim initium sumit omnis perditio, Tob. 4. v. 14.

Exemplum habemus in Apostolis prælecti Evangelii, qui ex vanâ ambitione à Servatore questionem decidendam petunt, quis major sit in regno cælorum?

Hoc igitur Apostolis, velut personis ecclesiasticis minus conveniebat: non enim propterea Christus eos elegerat, ut super populum dominarentur, Luc. 22. v. 26. sed vestes ejus essent in Hierusalem, & in omni Judæa & Samaria, usque ad ultimum terræ, Act. 1. v. 8.

Hic probes velim te, utrum & tu gradum honoris altiores affectaveris, quam æquū est?

Ejusmodi homines nunquam defuerunt, virus enim illud ambitionis omnibus ho-

minibus in Protoplastis nostris instillatum est ab antiquo serpente, qui principio Evam ita fascinavit, ut ex præpostero desiderio, quo Deo similis foret, de ligno scientiæ boni & mali ideo gustavit, Gen. 3. v. 5.

Eodem veneno infecti fuere, Korah cum cœtu suo, Num. 16. v. 1. Haman, Esth. 5. v. 9. c. 7. v. 9. Absolon, 2. Sam. 14. v. 25. qui hoc ipso certissimum sibi exitium attraxerunt.

Adhuc hodie antequam conteratur, exaltatur cor hominis, Prov. 18. 12. & ruinæ certissimus antesignanus ambitio est. Deus enim alta à longè cognoscit, Psal. 38. 6. & elatos contentibiles reddit, Sir. 10. 16. Hinc Æsopus rogatus, quid Deus in cælo faceret? respondit: Humiliat excelsa, & extollit humilia. Cum quo B. Maria consentit, Luc. 1. v. 51.

Hæc doctrina observanda est:

1. *In Choro*, ne verbi ministri dominantur in cleris, 1. Petr. 5. v. 3. ut Papa Alexander III. qui Imperatoris Friderici Barbarossæ collum calcavit Venetiis, dicens: super aspidem & Basiliscum ambulabis: sed gregem sibi demandatum pascant pedo verbi, quem proprio sanguine acquisivit sibi, Act. 20. v. 28. qui major est, fiat sicut minor, Luc. 22. v. 26. Hinc officium verbi, non vocatur Magisterium: sed Ministerium, ut ministri hinc commoneantur, quod omnibus ex æquo ministrare debeant, sicut id Paulus suo ipsius exemplo docet, 1. Cor. 9. v. 19. seqq.

2. *In Foro*. Ubi plerumque honores mutant mores: sed rarò in meliores: Hinc videas, quorum promineat præpingvedine oculus, Psal. 73. v. 7. Job. 15. 27. Posuerunt in cælo os suum, & lingua eorum transivit in terrâ, Psal. 73. v. 9. Verum & gravissimum

mum iudicium illis imminet, quia excelsior est custos, Ecclef. 5. v. 7. is aliquando interrogabit opera eorum, & cogitationes scrutabitur, Sap. 6. v. 4.

3. *In Toro.* Cuiuslibet enim Deus locum suum adsignavit, in numero, pondere & mensura, Sap. 11. v. 22. Unumquemque igitur sicut vocavit Deus, ita ambulet, 1. Cor. 7. v. 17. nec quærat altiora, Sir. 3. v. 22. Deus enim in altis habitat, & humilia respicit, in cælo & in terra, Psal. 113. v. 6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, 1. Petr. 5. v. 6.

II. *Præsens remedium.* Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque igitur humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum.

Hoc absurdum cuiuspiam videri possit, ut cum Nicodemo ille quæreret: Quomodo homo potest renasci cum sit senex? Et si enim non ita intelligendum sit, quod staturâ aut sensibus: sed malitiâ pueri effici debeamus, uti Paulus explicat, 1. Cor. 14. v. 20. Attamen res ardua est, quam quidem inchoare, sed ad perfectionem deducere non possumus, in mortalitate hac: semper enim ex parte cognoscimus, usque dum ad annos discretionis perveniamus, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, Eph. 4. v. 13.

Hic tecum in examen descende mi Christiane! utrum & ipse infirmitate tuâ agnitâ, necessarium putaveris, à pueris discere, & eorum institutione uti?

Hic enim Servator advocans parvulum, quem Nicephorus Ignatium, discipulum Johannis Evangelistæ fuisse, autumat, præconem constituit, ut ab eo Apostoli ejus, &

nos omnes veram animi humilitatem discere debeamus. Parvuli enim non inflati, superbi & ambitiosi, ut adultiores sæpè solent, sed humili corde sunt, & ut Paulus ait: Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, Gal. 4. v. 1. sic neque nos superbiamus donis, quæ concredidit nobis Deus, sed alios, etiam infimos superiores nobis arbitremur, Phil. 2. v. 3.

Equidem unicuique honos ille debetur, quem Deus ei concredidit in functione illa, in quâ à Deo collocatus est, juxta illud: Cui honorem, honorem, Rom. 13. v. 7. Quod verò propterea quis sese efferre, & alios despiciere velit, hæc maxima omnium stultitia est. In oculis enim Dei omnes unum figmentum sumus: quilibet sibi applicet: Terram geris, terram teris, & in terram converteris, Gen. 3. v. 19.

Præterea vilissimi mendici anima non minori pretio à Christo redempta est, quàm anima Romani Imperatoris. Omnes enim pretio magno emit, 1. Cor. 6. v. 19. non auro & argento, sed sanguine suo pretiosissimo, 1. Petr. 1. v. 18. v. 19.

Quin & eodem verbo, baptismo, unâ cœnâ & eadem spe fruimur impetrandæ salutis. Eccur præ aliis nos extolleremus? cur superbiremus, si fortè talentum aliquod præ alio acceperimus? Potius nostri erit officii, concordēs vivere, & dono illo in alterutrum uti, sicut boni dispensatores multiformes gratiæ Dei, 1. Petr. 4. v. 10. *εις παροχρησµὸς τῆς ἀγαπῆς*, Heb. 10. v. 23. præferim, quia Christus ipse dilectionem characterem Christianorum constituit, Joh. 13. vers. 35.

Multi sibi persuadent, perfacilem esse in cælum viam, idèd satis remissi sunt in Christianismo suo: Sed hîc audimus Christum

stum juratò quasi adleverantem: Nisi con-
versus fueritis, & efficiamini, sicut parvuli,
non intrabitis in regnum cœlorum. Hoc
magnam industriam & diligentiam requi-
rit. Dicitur quidem in Proverbio: Bis pueri
senes. Sed id hic locum non habet. Dantur
enim & pueri centum annorum, Esa. 65.
v. 20. Sed & nullum fidei iustorum habemus,
quod ad tantam senectutem perven-
turi simus, ideo non eò res differenda est,
sed memento creatoris tui in juventute
tuâ, Eccles. 12. v. 1. Senectus enim venera-
bilis est, non diuturna, Sap. 4. v. 8. 9.

III. *Scandali periculum.* De quo Serva-
tor: Qui autem scandalizaverit unum de pu-
illis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut
suspendatur &c.

Hic de *gemino scandalo* audimus. *Primum*
est *Activum seu datum*, quod nimi-
rum per verba & opera prava exhibetur:
quod facile excipitur à parvulis, qui sunt
instar tabulæ rasæ, cui nihil inscriptum a-
ctu, quodlibet verò inscribi potest. Et quia
figmentum cordis eorum pravam est na-
tura, ideo facilius ab ipsis malum imbi-
bitur, Gen. 6. v. 5.

Alterum vocatur *scandalum passivum*
seu acceptum, quando quis in illo, quod ab
altero lit, offenditur, ubi nulla offendendi
causa subest. Eo spectat, quod Christus
de eruentis oculis, & abscindendis & pro-
jiciendis manibus & pedibus discipulis in-
culcat, quando animæ scandalum præbere
velint.

Et quidem intelligenda sunt verba hæc
1. *Proprie*, ut *manus* retrahamus, ne su-
pergrediantur, neque circumveniant in ne-
gotio fratrem, 1. Thess. 4. v. 5. *pedes*, ne ad
malum currant, Prov. 1. v. 16. *oculos*, ne vi-
deant vanitatem, Psal. 119. v. 37. ut Potipha-

ra, Gen. 39. v. 7. & David, 2. Sam. 11. v. 2.
ita crucere, abscindere & projicere debe-
mus, non membra ipsa: sed scandalum,
quod in membris se exerit, id quod Paulus
his verbis præcipit: Mortificate ergò mem-
bra vestra, quæ sunt super terram, Col. 3.
vers. 5.

2. *Metaphoricè*, quo modo Christus hoc
docere vult, ne quis nobis tam charus sit in
toto mundo, ut per eum nos à Deo abs-
trahi & ad peccata seduci patiamur, etiam si
nobis conjunctissimus & utilissimus fo-
ret, sicut manus, pedes, & oculi corpori
humano. Qui amat patrem aut matrem
plus, quam me, non est me dignus, Matth.
10. v. 37.

Per *manum* *Metaphoricè intelligi potest*
amicus, fidelis vicinus, aut patronus & pro-
motor, qui manum porrigit, ubi auxilio e-
jus indiges, sicut de Equite Samaritano di-
citur, quod in ejus manu Rex incubuerit,
2. Reg. 7. v. 17. h. e. auxilio & fide ejus in
bello usus fuerit. Quando igitur ejusmodi
manus scandalizaverit te, h. e. quando a-
micus tuus te pervasurus est, ut adversus
Deum & verbum ejus quicquam commit-
tas, potius amicitia ejus valedicere, & be-
neficiis & promotione ejus carere malis,
quam ut ad ejus gratiam injustè agas, &
conscientiam tuam saucies. Nam si pecca-
verit vir in virum &c. 1. Sam. 2. v. 25.

Per *pedes* *Metaphoricè intelligitur fa-
mulatum*, quod Dominis inservit, & ire te-
netur, quo mittitur, hinc Jacob ad Laban:
Benedixit tibi Dominus ad introitum
meum, quod Lutherus ita Germ. vertit:
Der Herr hat dich gesegnet durch meis-
nen Fuß / Genes. 30. v. 30. Quando igitur
talisis pes scandalizaverit te, h. e.
quando servitia impia habes, quæ idolola-
triâ,

Gggg

uîâ,

hó hó!

3. *Tanquam dubiorum Enucleator.* Hic audimus discipulos ad ipsum accedere & quærere, quis major futurus sit in regno, quod inchoaturus sit in terris.

Hac in parte optimè fecerunt Apostoli: licet enim quæstio hæc subinde in medium allata esset, illi que meritò ex informatione Christi, rationem illius discere debuissent, ut nullà ulteriori interrogatione opus habuissent: quia tamen semper Christum terrenum regnum incepturum esse somniabant, in quo alter alteri prærogativam invidabat, rectè faciunt, quod à Domino & magistro suo informationem petunt, est enim sapientia ipsa, qui habitat in consilio, Prov. 8. v. 12.

Quando Israelitæ in V. T. Dominum consulturi erant, ad propitiatorum se vertere solebantur, ibi de medio duorum Cherubim, qui erant supra arcam testimonii, Deus responsa dabat, Exod. 25. v. 21. 22. quod & fiebat per *Urim & Thumim*. Vide 1. Sam. 23. v. 6. c. 30. v. 7.

Id. Diabolus apud paganos imitatus est per Oracula, quale in delubro Delphico celeberrimum fuit. Responsa inde accepta non aliter ac certissima, ac pro Dei voce habebantur, etiam si responsa plerumque ambigua interpretationis fuerint, & illi qui iisdem innixi sunt, turpissimè fallerentur. Notum est illud Cræso Lydiæ Regi datam responsum:

Cræsus Halym penetrans, magnam pervertet apum vim.

Quod in utramque partem exponi potuit, adeoque Cræsum miserè delusum regno suo privavit.

Ejusdem farinae est illud Pyrrho datum: Ajo te Æacida Romanos vincere posse.

Quo Pyrrhus Epiri Rex non minus defusus & à Romanis victus est.

Ita *Diabolus cæcos gentiles Iudificavit*, ut prorsus consilii incerti fuerint, est enim mendax ab initio, Joh. 8. v. 44. & licet interdum verum dicat, tamen meras præstigias agit, potest enim se in angelum lucis transformare, 2. Cor. 11. v. 15.

Sicut igitur Judæi Urim & Thumim ducentos ante natum Christum annos amiserunt: Ita & Oracula ethnica obmutuerunt nocte illa, qua Christus natus est. Cum n. Cæsar Augustus de successore oraculum Apollinis consuluit, tale responsum tulit:

Mepuer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans

(Orcum: Cedere sede jubet, tristemq; redire sub Aris ergò dehinc tacitò discedito nostris. *Optimum nostrum Oraculum*, ad quod in omnibus necessitatibus confugere possumus, etiam rebus aded intricatis, ut ignoremus, quid agere debeamus, sicut Rex Josaphat, 2. Chron. 20. v. 12. est *Christus Servator noster*, magnus ille Propheta à Mose promissus, Deut. 18. 15. qui nobis voluntatè patris sui manifestavit, ut sciamus quid sit bonum, & quid Dominus requirat à nobis, Mich. 6. 8. Nemo Deum vidit unquam Joh. 1. 18. & scripture quotidie testimonium perhibent de illo, Joh. 5. v. 39.

Quod si igitur nosse cupis, quomodo celestis pater in te affectus sit? cū Apostolis ad Christum te confer, & interroga eum, & optimum responsum tibi dabit, dicens: Sic Deus dilexit mundum, &c. Joh. 3. 16.

Scire si desideras quomodo in cælum venire, justificari & salvari debeas, iterū Christū consule, ipse dixit: Qui verba mea &c. Joh. 5.

Experiri si aves, an precatio tua quā in angustiis ad Deū fundis, grata & efficax sit, iterum nemo te certiozem reddere poterit, quā Christus, qui ait: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis &c. Joh. 16. 23.

Si mundo huic valedicturus, omni solatio destitueris iterum cum Apostolis Christum accede, & ejus opem implora, ille non temerè dixit: Ubi ego sum, illic & minister meus erit, Joh. 22. v. 26. Et si enim terræ mandamur, quæ mater omnium nostrum est: attamen hora veniet, in qua omnes, qui in monumentis sunt prodibunt, Joh. 5. v. 28.

Summa: Quæcunque dubium incidet, hic Dominus optimus scriba est, qui proferre potest de thesauro suo nova & vetera, Matth. 13. v. 52. *Si lex terret te, prædicat tibi Evangelium: Sin autem gratia ejus abutaris, ex lege inferna tibi minatur, virgam enim amabilem, & dolorem rectè adhibere novit, Zach. 11. v. 7. Iceirò omnia apud eum invenimus, quæ ad salutem necessaria sunt, est enim omnia in omnibus, 1. Cor. 15. v. 28. & potest unicuique dare petitiones cordis sui, Ps. 37. v. 4.*

II. *Tanquam parvulorum observator.* Propterea inquit: Qui susceperit unum parvulum talem, in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizaverit &c.

Hisce verbis Servator *parvulos nobis fidelissime commendatos vult.* Equidem puerorum educatio multo labore, & accuratâ curâ indiget, dum adolebant, ut ipsa experientia probat. Idco Maccabæa cum filius ad martyrium duceretur, ait: Fili mi, misere mei &c. 2. Macc. 7. v. 28. seqq.

Hoc adhuc hodie piæ matercula satis experiuntur, quando non modo in dolore pariunt filios suos, Gen. 3. v. 16. sed & varia curatione satis tædiosa liberos prosequitur, quàm vel pretio conductâ non susceperet, nisi innata & in eam adigeret. Et hoc ipso res nondum transacta est, sed si officio suo satisfacere velit, ante omnia operam navet

oportet, ut in disciplina & admonitione Domini illi educeantur, Eph. 6, 3. ut arbores justitiæ & plantatio Domini, ut glorificentur, Esa. 61, 3. & illi reddantur, qui eos mutuo dedit, ut Hanna cum Samuele id rectè observavit, 1 Sam. 1. v. ult.

Atqui Christus hic emphaticè ait: Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit, quo indicat, se omne illud, quodcunque parvulo sive boni sive mali exhibitum fuerit, sibi factum censere velle. Hinc cum offerrentur parvuli ejusmodi Christo, amplexavit eos, & imponens manus super illos, benedixit illis, his amicis verbis adjectis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium est enim regnum Dei, Marc. 10. v. 13. seqq. Et quidni illos reciperet? si quidem plasmavit, & protexit eos in utero matris, Psal. 139, 13. v. 10. nec minus eosdem salvari vult, quàm senes, non est enim voluntas ante patrem cœlestem &c. Matth. 18. v. 14.

Quicunque igitur liberorum curæ præpositi sunt, munus suum fideliter obeant, eosque utiliter instruant: sic firmum præsidium habent, quod Diabolo ejusque satellitibus opponere possunt, ex ore enim infantium & lactentium perfecit sibi Deus robur, Psal. 8. v. 3. Opulentam quoque mercedem sibi reservatam habebunt à Christo ipso: qui eos spiritu suo sancto hic instructos aliquando in parvulorum cœtum assumpturus est, ubi non amplius Benoni, sive filii doloris: sed Benjamin, seu filii dextræ vocabuntur, & hæreditariò accipient, paratum sibi regnum à constitutione mundi, Matth. 25. v. 34.

III. *Tanquam Angelorû Imperator: qui eos emite-*

emittit in ministerium propter illos, qui hæ-
reditatem capient salutis, Heb. 1. v. ult. Hic
audimus, quod servator ait: Angeli eorum
in cælis, semper vident faciem patris, qui in
cælis est. Ex quo colligere possumus, tam
parvulos, quam omnes veros Christia-
nos peculiare sibi Angelos destinatos habe-
re, qui à Christo ministerio & custodia eor-
um præpositi sint. Est enim Dominus
Sabaoth, Psalm. 24. vers. ult. in quorum
numero & angeli continentur, unde expres-
se militia cæli vocantur, Jer. 23. 22. qua ra-
tione & Jacobo visi sunt in itinere ex Meso-
potamia, Gen. 31. v. 55. Ideo legimus, quod
ipsi servierint in nativitate, Luc. 2. 9. 13. in re-
surrectione, Marc. 16. 5. in ascensione, Act.
1. v. 10. quin & in extremo iudicio in multis
millibus veniet, Matth. 25. 31. Ep. Jud. v. 14.

Quandoquidem igitur hodiernum fe-
stum cum primis eum in finem à Priscis in-
stitutum est, ut doctrina de Angelis tractetur,
& Deo pro eorum tutela & præsidio
gratiæ agantur, occasione horum verborum
nobis differendum est:

1. De Angelorum natura, ubi occurrit:

1. *Veritas existentia*, contra Sadducæos,
qui eam expresse negarunt, Act. 23. 8. In hoc
errore etiam fuerunt Libertini, & patrum
memoria David Georgius, qui neque ange-
los neque diabolos credidit, ideoque post-
quam hæresis ejus manifestata est, post
mortem Basileæ cadaver ejus refossum &
exustum fuit.

Hujus farinae hodierni Empæcæ sunt, de
quibus Petrus prædixit, quod postremis his
temporibus in magna copia prodituri sint,
2. Petr. 3. 3. in diem enim velut pecora viven-
tes, non credunt Angelos esse, qui animas
fidelium custodiant, easque post mortem in
sinum Abrahamæ deportent, Luc. 16. v. 22. Nec
credunt dæmones esse, qui post mortem in

carcere infernali impiorum tortores futuri
sint, Matth. 5. v. 25.

Sed *contrarium facile probari potest:*

1. *Expressis scripturarum testimoniis*, quo-
rum ex multis nonnulla saltem adducemus.
Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros
tuos ignem fulgentem, Psal. 104. 4. Benedi-
cite Domino omnes exercitus ejus, Ps. 103.
v. 21. Paulus mentionem facit thronorum,
& dominationum, principatum & potesta-
tum, per quos intelliguntur distincti
Angelorum ordines, Col. 1. v. 16. sunt enim
eorum multa millia, Heb. 12. 22. Jacob videt
ingentem exercitum, Gen. 32. v. 2. Pastores
Bethlehemitici vident totam multitudinem
militiæ cælestis, Luc. 2. v. 9. Christus ipse di-
cit, quod possit rogare patrem suum: ut ex-
hiberet sibi plus quam duodecim legiones
angelorum, Matth. 26. v. 53.

2. *Clarissimis apparitionum suffragiis.* Ita
Agar Angelus Domini apparuit, cum fu-
gisset à Sara, Gen. 16. v. 7. & iterum cum er-
raret in solitudine Bersabeæ, Gen. 21. 15. seqq
Abrahamo tres angeli apparuerunt, Gen.
18. 1. Lotho duo, Gen. 19. 1. Jacobus vidit
castra angelorum, Gen. 32. v. 1. Vide Jud. 13.
v. 11. 2. Sam. 24. v. 17. Dan. 3. v. 25. Matth. 2.
v. 14. Luc. 1. v. 11. Marc. 16. v. 5. Act. 12. v. 7.
& passim. Ita ut minime nobis dubitan-
dum sit, quin angeli existant, boni
& mali. Boni ideo creati sunt, ut faciant
voluntatem Domini, Psal. 102. v. 20. fide-
libus Christianis præsidio, auxilio, consilio &
solatio sint, hoc ministerium eorum est,
Heb. 1. v. 14. Mali vero se à Deo averterunt,
& simul omnium hominum, præcipue ve-
ro fidelium hostes & adversarii facti sunt, 1.
Pet. 5. v. 8.

2. *Quidditas essentia.* Quam considerabi-
mus:

1. *Negativo.* Quando enim sanctos An-
gelos.

Gggg 3: gelos.

gelos spiritus esse asserimus, non ejusmodi spiritus intelligimus, quomodo Deus spiritus est, Joh. 4. 24. aut ut Christus deventus dicit: Spiritus ubi vult spirat, Joh. 3. v. 8. Multo minus Deo æquales censendi sunt, ut veteres hæretici: Simoniani, Saturniani, Nicolaitæ, & alii delirarunt, quod mundus & omnia visibilia non à Deo, sed ab angelis creata sint. Hoc falsum est. Qui enim omnia præparavit, Deus est, Heb. 3. 4. Hunc honorem sibi soli vendicat, nec alteri dabit, Esa. 41. v. 8.

Nec concedi potest, quod Origenes statuit, Angelos eorpora habere, quamvis subtiliora sint nostris corporibus. Equidem in scriptura & prophanis historiis exempla offenduntur, quod angeli in forma corporali & visibili se exhibuerint: verum non propria verum, sed assumpta forma fuit, qua tantisper uti sunt, dum commissum sibi à Deo munus respectu hominum (quod hoc modo commodius fieri potuit) exantlarunt. Perfecto vero ministerio suo assumptam illam speciem deposuerunt rursus. Et licet nonnunquam cum hominibus cibum ceperint, ut angeli qui apud Abraham & Loth diverterunt, Gen. 18. v. 8. c. 19. v. 3. attamen id factum est, aut apparenter, aut ex singulari quadam cœconomia, ob assumptam speciem, non quasi esuriverint, sed quod usque ad tempus manifestationis eò commodius occulti essent, ne ab iis cum quibus conversarentur, agnoscerentur, quale exemplum in angelo Raphael habemus, Tob. 12. v. 19.

2. *Affirmative*, ut indicemus, quid sint, nempe:

1. *Spiritus sapientissimi*, quorum sapientiam nemo hominum assequi poterit, licet

Salomonis sapientiam adæquaret, 1. Reg. 4. v. 19. Quod enim Thecurtis ad Davidem ait: Sicut angelus Domini, sic & Dominus meus Rex, 2. Sam. 14. v. 17. id comparate intelligendum est, respectu aliorum, qui ejusmodi sapientia non valent. Interim tamen cordium scrutatores non sunt, hanc enim proprietatem sibi reservavit Deus, 1. Reg. 8. v. 39.

2. *Spiritus Sanctissimi*, ideo Paulus eos vocat Angelos electos, qui in sanctitate sua perstiterunt, & ita in ea confirmati sunt, ut in æternum labi non possint. Quod & inde patet, quia vident faciem patris cœlestis, ad quam nemo pervenire potest, nisi qui mundo corde est, Matth. 5. v. 8.

3. *Spiritus potentissimi*, qui facili negotio effrenem tyrannorum lasciviam compescere possunt, si à Deo in mandatis id habent. Sicut legimus, quod unicus aliquis Angelus in castris Sennacherib non unum virum, ut animosus ille heros David, 1. Sam. 17. 5. non sexcentos ut Samgar, Jud. 3. v. ult. non octingentos, ut Jeseb-Besebeth, 2. Sam. 23. v. 8. non mille uti Samson, Jud. 15. v. 15. sed centum octoginta quinque millia in una nocte percussit 2. Reg. 19. v. 35. inde vocantur potentes virtute, Psal. 103. v. 20. & angeli virtutis, 2. Thess. 1. v. 7.

Hac consideratio inserviat

1. *Piis in consolationem*: et si enim pulvis & cinis sunt, Gen. 18. v. 27. tanti tamen Deus eos fecit, ut non modo ex perditione eosdem redemerit, in quam per tristem Protoplastorum lapsum inciderant: verum etiam adeo præcellentes spiritus & cœlestes genios illis protectores & custodes constituerit. Hinc non immerito David in admiranda

mirationem rapitur, inquit: Domine, quid est homo, quod agnoscis eum? Psal. 144. v. 3.

Rex Salomo proculdubio plurimos fatellites & ministros aulicos habuit, quorum ministerio usus est, quia Regina Arabiz propterea admiratione commota fuit, 1. Reg. 10. v. 8.

Nec *Ahasvero Regi* eosdem defuisse censendum est, ubi instructo magnificentissimo convivio cunctos Principes, & fortissimos Persarum, & Duces Medorum, centum & octoginta diebus opipare traxavit, Esther. 1. v. 6.

Rex India Porus tempore Augusti sexcentis Regibus imperasse scribitur, qui omnes apparitoribus suis sufficienter instructi fuerunt.

Hoc ita quidem magnam his Magnatibus auctoritatem conciliavit: Verum, quid hoc aestimandum ratione ejus, quod Deus cœlestes genios apparitores nobis constituit, qui non modo in hoc tempore præsidio suo nos muniunt: sed & aliquando in regnum cœleste transportabunt, merito igitur exclamamus nos: Quid est homo, quod agnoscis eum Psal. 144. v. 3.

2. *Impiis in dehortationem.* Non modo boni Angeli, sed & diaboli sunt, qui quidem homines ad peccata instigant, verum ubi illa commissa sunt, adeo ea exaggerare norunt, ut illis omnem gratiæ spem præripiant ut Caini exemplum docet, Gen. 4. v. 13. Ideo accurata cautione opus est, ne quis seducatur ab illis: pœnitentia certissime sequetur, quamvis nimis sero, ex inferno enim nulla redemptio, Psal. 49. v. 15.

2. *De Angelorum cura,* quam præstant nobis:

1. *In vita ingressu.* Satanas enim homines

odio infensissimo prosequitur, & si ejus potestas valeret, nullus infantum vivus lucem adspiceret: verum ut draco rufus ante mulicrem sole amictam stetit, ut devoraret filium, quem erat paritura, Apoc. 12. v. 3. seqq. Pari modo adhuc hodie infantibus in ipso partu insidiatur, ut eosdem in primo, ut ajunt, balneo suffocet: Verum Christus infantum angelos subordinavit, ut cum dracone decertent, hinc non immerito David hoc Dei beneficium prædicat, inquit: Tu es, qui extraxisti me, de ventre, Psal. 22, 10.

2. *In vita progressu.* Sic enim custodiunt nos in omnibus viis nostris, quin & in manibus portant, ne forte offendamus ad lapidem pedem nostrum, Psal. 91, 11. Quando nos dormimus, illi excubias agentes pro nobis adversus diabolum militant, uti in Tobia juniore luculentum exemplum habemus, Tob. 8. v. 3.

Summa: Quicquid in V. T. per angelos in assumpta visibili specie gestum est, id quotidie adhuc fit, quamvis oculis non videamus, sed credamus, Joh. 20, 29.

Miramur, cum legimus, Deum angelum misisse, qui Hagar reverti jussit ad Dominam suam, postquam fugerat ab ea, Gen. 16. v. 9. Verum idem quotidie adhuc fit, quando per peccata à Deo declinavimus, ut per pœnitentiam ad Deum revertamur, sicut angelus Domini in via stetit, ut adverteretur malo Balaami proposito, Nû. 22, 22.

Ad admirationem excitamur, quod angelus Lothumpium Sodomis eduxerit, cum pentapolin igne & sulphure deleturus esset, Gen. 19, 17. Verum hoc ipsum indies adhuc contingit. Quid enim aliud mundus est, quam spiritualis Sodoma, in qua concupiscentia oculorû, concupiscentia carnis & iuperbia vitæ invaluerû, 1. Joh. 2. quando igitur

tur in consummatione seculi ille ignis ardore liquecet, 2. Pet. 3. v. 12. angeli negotiosi erunt ad congregandum electos à quatuor ventis, Matth. 24. v. 31. rapientque in nubibus obviam Domino in aera, ut sic semper cum Domino sint, 1. Thess. 4. v. 17.

Demiramur legentes, quod Hagar erranti in solitudine Bersabea, & siti laboranti Angelus apparuerit, eique viam ad puteum ostenderit, quo sitim restingeret, Gen. 21, 17. Sed id quotidie adhuc fit, quando in spirituales tentationes incidimus, ut ad pacem amaritudo nobis amara, Esa. 38. v. 17. tum angelum suum Deus ad consolandum nos mittit, sicut Christo tempore passionis angelus de caelo apparuit, confortans eum, Luc. 22. v. 43.

Jacobo in itinere angeli obviam facti leguntur, in forma castrorum, Ps. 34. v. 8. Id adhuc quotidie fit. Castra enim metatur Angelus Dominus circa timentes se, Psal. 34. v. 8.

Principi Josue Angelus apparuit evaginatum gladium tenens, qui dixit, sum princeps exercitus Domini & nunc venio, Joh. 5. v. 13. Id hodie adhuc fit, cum primis in potremis hisce temporibus, ubi draco gregem pusillum ecclesiae devorare satagit, Apoc. 12. v. 4.

Elia de lassato Angelus subcineritium panem & vasculum aquae attulit, quo ita refectus est, ut in fortitudine illius cibi ambulaverit usque ad montem Dei Horeb, 1. Reg. 19. v. 6. Hoc indies adhuc fit, quando lassus sumus, ad ambulandum in viis Domini, ut Angelus Domini per intrinsecas inspirationes nos confortet, sunt Tobiam juniorem angelus ad pietatem, & Hagar ad obedientiam admonuit, Gen. 16. v. 9.

Stupore percellimur, quando legimus, quod mons cingens oppidum Dothan, plenus fuerit

equorum, & curruum ignitorum, in circuitu Elisei, 2. Reg. 6, 17. Id indies adhuc fit, protegit enim Dominus ecclesiam suam, & est murus ignis in circuitu ejus, Zach. 2. v. 5.

Angelus conclusit ora leonum, ne nocerent Danicem, Dan. 6. v. 22. Sic & diabolo rugienti ut leoni ora obstruunt Angeli, ne nos devorent, 1. Pet. 5. v. 8.

Angelus noctu Petrum eduxit e carcere, Act. 12. v. 8. Idem adhuc hodie S. Angeli faciunt, cum animam, quando corporeis vinculis, velut carcere soluta est, in paradysum deportant, ut animam latronis in cruce, Luc. 23. v. 43. Idque praestant:

3. In vita egressu. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur, à modo, Apoc. 14. v. 13.

Sed quomodo tempus suppeteret nobis, ut singula beneficia, quae per Angelorum ministerium Servator nobis exhibuit, enarremus? In vita aeterna gloria haec demum plenè consummabitur, erimus sicut Angeli Dei in caelis, Matt. 22. v. 30. Similes illis in justitia & sanctitate, populus enim Dei omnes justus erunt, Esa. 60. v. 21. similes in caritate, & fulgebimus sicut sol in regno patris, Matth. 13. v. 43. Similes in agilitate, tanquam scintillae in arundinetis discurrentes, Sap. 3. v. 7. Similes in immortalitate, ibi enim mors non amplius erit, Apoc. 21. v. 4. sed justus in perpetuum vivent, Sap. 5. v. 16. Similes in aeterna beatitudine, sicut enim Angeli semper vident faciem Domini in caelis: sic & nos Deum videbimus, à facie ad faciem, 2. Cor. 13. v. 2. sicuti est, 1. Joh. 3. v. 2. hinc tanto gaudio perfundemur, quam in terris oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, 1. Cor. 2. v. 9.

Largiatur id nobis Deus Opt. Max. per & propter Jesum Christum, Amen.

In